tenus, vt ſecundæ ſubſtãtiæ cognoſcũtur, nõ aũt vt primæ. Neq; enim ſi quis ignotus per foramẽ proferat brachium, quid ſit brachium poſſit aliter cognoſci, aut intelligi, quàm ratione τȣ̃ καθόλȣ: vt neque occultati reliqui corporis oculus, vel pes poteſt noſci alia ratione, quàm energia ſua, incognito illo ipſo animali ſingulari cuius eſt. Cùm autem relata quæ verè relata dicuntur, non tantùm quatenus καθόλȣ, ſed etiam & multò magis quatenus καθέκαστα quidquid ſũt, id eſſe ratione aliorum noſcantur, & vno cognito, ſimul alterum cognoſci oporteat: partes ſubſtantiarum in illis non numerabuntur, quia non poſſunt perfectè referri: erúntque potiùs in prædicamento ſubſtãtiæ, quàm relationis, niſi quodammodo, ſeu ὁπωσȣ̃ν dicantur relata, ea nẽpe ratione, qua ſunt partes totius συνόλȣ, & menſurata quædam à toto.

CATEGORIA QVAlitatis.

Homonymia categoria qualitatis.

CAtegoria Qualitatis eſt ὁμώνυμος, vt quæ de diuerſis primò generibus prædicetur, nõ ex vna ratione & definitione. Qualitatis autem genera ſunt hæc, διάθεσις, quam diſpoſitionẽ vocant: φυσικαὶ δυνάμεις ſeu ἀδυναμίαι: id eſt, facultates ſeu potentiæ naturales & impotẽtiæ: παθητικαὶ ποιότητες, quibus ſenſus externi af-

Genera qualitatis.